

## Psalmus responsorius

Ps 96, 1 & 2b. 6 & 7c. 9 (Rx.: 1a & 9a)

Rx. Dóminus regnávit, altíssimus super omnem terram.

vel:

Allelúia.

<sup>1</sup> Dóminus regnávit! Exsúltet terra,

læténtur ínsulæ multæ;

<sup>2b</sup> iustítia et iudícium firmaméntum sedis eius. Rx.

<sup>6</sup> Annuntiavérunt cæli iustítiam eius,

et vidérunt omnes pópuli glóriam eius.

<sup>7c</sup> Adoráte eum, omnes ángeli eius. Rx.

<sup>9</sup> Quóniam tu Dóminus, Altíssimus super omnem terram,

nimis exaltátus es super omnes deos. Rx.